



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXXIV. Matrimonii. consilium datur domino Territorii, & Parocho,  
quid agendum circa Matrimonium, quod inire cupiunt illi, qui, si famaæ  
credentum, laborant impedimento Affinitatis ex Copula ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

## CONSEILUM XXXIV.

In Causa intenti Matrimonii cum deflorata , cum cuius Matre deflorans impudicè vixisse dicitur.

## SUMMARIUM.

1. 2. Fatti Species & dubia inde mota.
3. Ob solum suspectum consortium cum Matre, non potest sine ulteriori causa examine impediri Matrimonium cum filia.
4. Nisi adhuc circumstantia ordinariè conjuncta cum adulterio.
5. 6. Enumerantur Praesumptiones commissi adulterii.
7. Qua tamen sufficientes non sunt, ut prasumatur affinitas cum proxime conjunctis personis.
8. In dubio expeditum medium est Juramentum purgatorium.
9. Cujus delatio tamen in praesenti casu ob manifestum periculum perjurii non est consulta: sed potius adhibenda paterna admonitio Parochi.
10. Res demum deferenda ad Ordinarium pro judiciali absolutione, vel dispensatione.
11. 12. Unde dispensatio petenda sit, desumendum ex ratione dubii.
13. Pendet inde etiam legitimitas Prolis per subsequens Matrimonium obtainenda, si à parentibus ad contrahendum habilibus nascatur.
14. 15. Continuatio ejusdem Consilii, & nova Questiones.
16. Ad contrahendum sufficit Dispensatio Penitentiarie, si Impedimentum in foro externo probari non possit.
17. Ad tollendum scandalum deferri potest Juramentum purgatorium:
18. Facultas illud imponendi quomodo à Parochio petenda?

## FACTI SPECIES.

I.



Ullia non tantum coram Judge Seculari loci, sed etiam passim coram omnibus fatetur, se fuisse imprægnatam à Titio, nunc ab aliquot annis viduo, neque hic negat fornicationis delictum, cum eâ à se commissum. Vult iste nunc cum ea contrahere Matrimonium, ut hoc modo proles, ex eo suscepita, legitimetur. Petit proinde, ut Statuta Localia volunt, consensum à Domino Territoriali loci, sed hic difficultatem in consenatu hoc dando non immerbitur habet; nam, durante adhuc Matrimonio cum defuncta sua Uxore, valde suspectus fuit de prohibito consorzio cum Sempronia, Caj vicini sui conjugi, Tullia Matre. Et percrebuit nunc primùm rumor, quod ob suspectum hoc cum Sempronia consorzium inter ipsum, & defunctam suam Uxorem multa, & gravia sibi sunt exorta dissidia. Ipsi etiam Liberi post mortem Matris sibi hoc Patri suo objecerunt; imò unus ex his filius tringinta annorum nuper admodum minitatus fuit Semproniæ, se illam occisurum sclopeto, nisi continuatum adhuc cum Patre suo etiam post Matris mortem suspectum consorzium ipsa vitaret: ut adeò valde dubium sit, an non Titius, stante Matrimonio cum Uxore sua defuncta, cum Sempronia se poluerit adulterio, & sic cum Tullia hujus filia contraxerit Impedimentum Affinitatis, ne possit eandem ducere.

## Quæstiones Discutiendæ.

Q UÆRITUR proinde 1. An non obstante communi fama de suspecto cura Sempronia consorzio, cùm nondum res in Judicium deducta, aut ita probata sit, ut adulterium, à Titio cum eadem Sempronia commissum, præsumi possit, à Territorii Domino, salvâ conscientiâ, eidem Titio, ejusque complici Tulliae dari consensus ad Matrimonium inter se contrahendum absque ulteriori cause disquisitione valeat?

2. Casu quo consenus hic vel denegandus, vel suspendendus sit saltus, quid in hac Facti Specie à Domino Territoriali per subordinatum sibi ministerium faciendum ad tutam servandam conscientiam, tollendum scandalum, & impedendum ulterius periculum incessus cum Tullia, si Titius Matrem Tulliae cognovisset, & suspectum consorzium, negato consensu ad Matrimonium, cum illa contrahendum, cum eadem contiñuerat?

3. An, si inquisitione in famam Titii facta, neque plena, neque semiplena obtineretur probatio de Copula ab ipso habita cum Sempronia, & ambo persisterent in negotiacione istius, ex hoc solo, quod idem Titius cum Uxore sua defuncta sibi gravia habuerit dissidia, constaretque haec dissidia ex lusione adulterini consorzii cum Sempronia fuisse orta, possit partibus, & cuinam ex illici, absque periculo perjurii ex officio deferri Juramentum Purgatorium?

4. Utruin,

4. Utrum, si deficiat plena probatio de adulterio inter Titium, & Semproniam commisso, aut deposito ab alterutra parte Juramento Purgatorio, Dominus Territorii in favorem prolis, & Matrimonii, Titio, & Tulliae ad illud contrahendum possit dare consensum suum?

**3.** **AD QUÆSTIONEM 1.** Judico dicendum, ex hoc solo, quod Titius consueverit, durante Matrimonio cum defuncta sua Uxore, suspectum habere consortium cum Sempronia, atque de ista sit publice diffamatus, sine ulteriori Causæ examine, non posse Titio negari consensum ad contrahendum cum Tullia, Sempronia filia. Nam si negari consensus hic posset, tunc ideo, quia ex dicto suspecto consortio præsumeretur adulterium, cum Sempronia commissum à Titio, & ex hoc ortum impedimentum Affinitatis cum Tullia Sempronia filia. Atqui sola fama, ex suspecto consortio orta, ad concludendum delictum adulterii nequaquam se sola sufficit; potuit enim consortium hoc confistere in amatoriis colloquiis, osculis, tactibus, vel etiam in copula imperfecta, ex qua, licet admissa fuisse, concludi Contractus Affinitatis non potest, quippe qua ut contrahatur, opus est, ut Copula sit perfecta, immisso scilicet, & recepto semine, faltem virili, in vas naturale feminæ, ut cum S. Thom. S. Bonavent. S. Antonin. Abb. Alex. de Nevo, Sylv. & alii ex communis docent.

Navarr. *Man. c. 22. n. 42.* Henr. lib. 12. de Matrim. c. 16. n. 2. Sanch. lib. 7. de Matr. D. 64. n. 8. Coninck D. 32. num. 46. Palao tract. 28. D. 4. p. 8. num. 2. & 3. Bosco de *Imped. Matrim.* D. 12. Sect. 6. concl. 1. Barbos. in c. *Fraternitati.* 7. n. 2. de eo, qui cognovit. Gonzal. *ibid. n. 2. & 7.* Et sumitur ex *Can. extraordinaria. 11. caus.*

**3.5. q. 3.**

Ratio est, quia ad Affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir, & mulier fiant una caro. Atqui non fiant una caro, nisi per copulam perfectam, & sufficientem ad generationem prolis, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur in vas foemineum, ut constat ex

*C. lex Divina. 18. caus. 27. q. 2.*

4. Proinde, licet constaret in Casu substrato, quod Titius cum Sempronia habuerit Copulam imperfectam, non tamen per hoc ille impeditur à Matrimonio valide contrahendo cum hujus filia. Idem dici debet, etiamsi habita fuisset copula Sodomita in vase praeposto contra naturam: & multò magis, si facta esset cum illa pollutio extra vas debitum; quia ex his generatio prolis ex natura sua sequi non potest. Antequam ergo procedatur ad negandum consensum pro Matrimonio cum Tullia contrahenda, præter famam, quæ habetur palam de illico Titii cum hujus Matre consortio, disquiren-  
dum erit, an non haberi possint indicia, &

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

Præsumptiones ex parte Titii, & Semproniae, ex quibus concludi possit intercessisse inter illos delictum adulterii; nam si ad sint Præsumptiones violentæ, & vehementissimè urgentes, ex actibus, indiciis, & circumstantiis delicto proximis, & cum eo ordinariè conjunctis ortæ, ad probationem adulterii illæ sufficient, prout sumitur ex

*C. maritis. 4. de Adulter. & Stupr.*

*ibi: Maritis etiam ex suspicione uxores accusare permisum est,* intellige, non qualicunque, sed haec tenus descripta. Ratio est, quia, cum hoc delictum plerumque in locis secretis, & arbitris, qui de eo testificari possint, remotis, perpetetur, probatio hujus extra casum, quo constat, Maritum ultra annum fuisse absensem, vel impotentem ad coitum, haberi non potest, nisi ex Præsumptionibus vehementibus, seu indiciis cum hoc delicto ordinariè conjunctis. Debent ergo Præsumptiones istæ sufficere, & requiruntur, ut concludi possit, hoc crimen fuisse commisum; nam tunc jam habetur moralis certitudo perpetrati criminis, talisque, qualis, speccata ejus qualitate, moraliter haberi potest: consequenter nullum morale periculum est, ne innocens condemnetur: quod tamen foret, si Præsumptio minor sufficeret.

*Sylv. V. Adulterium. n. 9.* Berojus in *Rubr. de Judic. n. 20. in fin.* Menoch. lib. 1. de *Præsumpt.* q. 58. n. 3. Mascard. de *Probat.* concl. 57. n. 6. Sanch. lib. 10. de *Matrim.* D. 12. num. 40. & 41. Haunold. tom. 6. de *J. & J. tract. 2.* num. 117.

Ex quo sequitur, ex sola fama de suspecto Titii cum Sempronia habito consortio, sine ulteriori Causæ disquisitione, non posse huic à Domino Territoriali negari consensum ad contrahendum cum Tullia, Sempronia filia, Matrimonium. Et hinc

**AD QUÆSTIONEM 2.** Suspendendus interea est consensus in Contractum Matrimonii ineundum, donec ex Inquisitione de fama Titii (quam Dominus Territorii Laicus, non quidem super Impedimento Matrimoniali, quippe qua Causa præcisæ ad forum Ecclesiasticum spectat, sed super Crimine Adulterii, quod mixti est fori, liberè, & licite facere potest) resciatur, quibus indicis fama hæc innitat. Nam duplicitis generis Præsumptiones Adulterii commissæ à DD. afferuntur. Primi generis Præsumptiones sunt.

1. Si solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto jacere vixit sit

multis locis secretis, & latebris ad hoc commidis, & horis electis,

Prout c. literis. 12. de *Præsumpt.* habet.

2. Si accusati de adulterio, ut criminis derrogarent fidem, obtenderunt consanguinitatem, & nihilominus, conjugé mortuo, iniérunt inter se Matrimonium.

*L. sicuti. 34. C. ad Leg. Jul. de Adulter.*

Et 3. Si is, qui de crimine adulterii suspe-

**5.**  
Refolvitur  
Quæstio 2.

ctus

L 1

Etus est, propterea à marito ter in scriptis, & testibus præsentibus monitus est, ut à colloquio, & conversatione cum Uxore suā abstineat, & nihilominus, hac denuntiatione insuper habitā, in loco suspecto, & ad adulterium idoneo cum ea conversari non de-  
sinit.

*Auth. si quis ei. C. ad Leg. Jul. cit.*

Præsumptiones istæ non tantum operantur, ut iis habitis, & legitimè probatis, procedi possit ad Divortium, & amissionem Dotis, sed etiam ut infandi possit pœna criminalis adulterii, ordinaria quidem in duobus posterioribus casibus, extra ordinem saltem in primo, ut bene advertit

*Menoch. lib. 5. Præsumpt. 41. n. 8. 12.*

& 15.

6.

Secundi generis sunt. 1. Si mulier à marito discedat, & viro de incontinentia suspe-  
cto, aut diffamato adhæreat, eique cohabit-  
et. 2. Si ea, invito, aut inscio marito, clām  
accedit, & pernoctet in domo Viri suspe-  
cti. 3. Si absente, aut ignorantē Marito, ab  
ejusmodi Viris, aut juvenibus clām, & no-  
tū frequentetur. 4. Si dishonestam cum ali-  
quo consuetudinem jactet, aut literæ ama-  
toriæ, ejusmodi consuetudinem confitentes,  
fuerint reperta. 5. Si vir, & mulier inveni-  
antur soli in loco abdito se mutuō osculan-  
tes, & amplexantes. 6. Si xenia, & mune-  
ra sibi invicem miserint &c. Ex his, & si-  
milibus actibus licet magna adulterii fiat  
Præsumptio, nisi tamen alia concurrent ad-  
minicula, Crimen hoc ad pœnam ordinari-  
am infligendam non satis probant. Unde  
relinquendum erit prudentis Judicis arbitrio  
examinare, quam vim probandi in casibus  
particularibus quævis ex prædictis Præsum-  
ptionibus habeat.

*Wesenbec. ad ff. tit. ad Leg Jul. cit. n.*

17. *Brunnem. ad Auth. cit. n. 3. &*  
*alii.*

7.

In præsenti Casu, quia non agitur de pœ-  
na adulterii infligenda, sed de impediendo  
Matrimonio inter Titum, & Tulliam ob  
suspicionem adulterii, cum hujus Matre Sem-  
pronia commissi, & exsurgentis inde Impe-  
dimenti Affinitatis inter eundem Titum, &  
Tulliam; Affinitatis impedimentum autem,  
juxta dicta Num. 3. solum oriatur ex Copula  
carnali, eaque perfectâ, cuius probatio  
concludens non habetur ex dictis indiciis,  
quippe quæ dari possunt etiam sine habitâ  
perfectâ Copulâ, ad impedendum Matri-  
monium inter Titum, & Tulliam ex Præ-  
sumptione Affinitatis, cum eadem Tullia  
per Matris adulterium contracta, indicia  
ista non sufficiunt; nam Affinitas ex vera,  
non præsumptiva Copulâ contrahitur. Qua-  
re, ut Dominus Territorii negatione conser-  
sus sui Matrimonium inter illos impedi-  
re possit, maiores de Copula verè habitâ, &  
eā quidem perfectâ probationes conquiri de-  
bent. Quia vero talis probatio, cùm ad  
hujusmodi delicta non admittatur testis, sed

inter solos complices committi soleant, vix  
unquam haberri potest, hinc

AD Q U A E S T I O N E M 3. Deficiente plenâ, vel semiplenâ probatione de Copula à Titio habitâ cum Semproniâ, expeditus medium ad solutionem dubii, an Dominus Territorii, spectatis circumstantiis præsentis Casus consensum ad Matrimonii Contrac-  
tum dare possit, foret, si vel Titio, vel Semproniæ judicialiter deferretur Juramen-  
tum Purgatorium; nam hoc si deponant, juréntque, se Copulam carnalem inter se non  
habuisse, tolleretur hujus suspicio, & jam  
non supereffet amplius ratio negandi conser-  
sum, quippe cùm hic depositi Juramenti  
Purgatorii sit effectus, ut is, qui se purgavit,  
declararet vir boni Testimonii.

*Cap. ex tuarum. 8. de Purgat. Canon.*

Atque ita tollatur Infamia, & redintegretur honor, atque existimat apud homines,  
præsertim, si vitam bonis moribus adornet,  
sicque ab eo omnis luspicio ex proborum,  
& honestorum hominum mentibus deleatur.

*C. inter. 10. eodem.*

Contrà verò, si Juramentum Purgatorium,  
sibi delatum deponere recusaverint, meritò  
ipsis negabitur petitus consensus; nam hoc  
Juramentum præstare renens pro convicto  
habetur, prout sumitur ex

*C. cum P. 7. v. deficiente. dict. tit.*

Et ratio est, quia tum Præsumptio verisim-  
lis, orta ex infamia, transit in violentam, ita  
ut ex hac ad condemnationem aliquando  
procedi possit.

Sed quia in Casu substrato agitur de cri-  
mine adulterii, quod si constaret commissum  
fuisse inter Titum, & Semproniam, ex parte  
Semproniæ inter hanc, & hujus Maritum  
oritura satis certe essent magna dissidia, &  
fortè ab hoc peteretur etiam Divortium, Ti-  
tus autem frustraretur desideratus Nuptiis  
cum Tullia, & impedito ejus cum hac Ma-  
trimonio, proles, ex ea suscepta, maneret  
illegitima, hinc, si deferretur ipsis Purgato-  
rium Juramentum, præsens periculum foret,  
ne Sempronia timore dissidorum cum Ma-  
rito suo, & Divortii fortè ab eo petendi, Ti-  
tus autem amore Nuptiarum, cum hujus  
filia intentarum, ac prolis ex ea suscepta de-  
jerent. Judico ergo, consultis factum iri,  
si Examen hujus rei Parochio illorum pro-  
prio committatur, qui paternè eosdem mo-  
neat, ostensâ etiam gravitate peccati, quod  
committerent, si post commissum inter ip-  
pos Adulterium consummatum, & contra-  
ctam ex hoc Affinitatem Titus absque di-  
spensatione cum Tullia contraheret Matri-  
monium, quippe quod ob ejusdem Affinitatis  
Impedimentum esset, & maneret irritum,  
sicque ipsos eo contracto, fore in sta-  
tu perpetuo damnationis æternæ: posse au-  
tem eosdem juvari, si sibi, Parochio suo Ti-  
tus, & Sempronia veritatem faterentur;  
tunc enim se procuraturum dispensationem,  
ut sublatu hoc impedimento, idem Titus  
licita

licité, & validē contrahere Matrimonium cum Tullia possit, sique prolem, ex hac suscepsum, aut fore legitimam, aut saltem, ob defecūm legitimā probationis Impedimenti, habendam protali.

**10.** **AD QUÆSTIONEM 4.** Si Titius commissum à te cum Sempronia adulterium Parocho, sic eum monenti, fateatur, & velit dispensari secum in Impedimento Affinitatis per illud contractæ ad Matrimonium contrahendum cum Tullia, officium Parochi erit, ut interea celebrationem Matrimonii Sponsis interdicat.

*C. fin. in princ. ¶. cùm autem, & §. fin. de clandeſt. Delfonsat.*

Cognitionem autem de Impedimento relinquere debet Ordinario, ad quem proinde illud deferre debet, ut recte notat.

Gutier. *de Matr. c. 60. n. 2.* Sanch. lib. 3. D. 15. n. 3. Conink D. 27. *de Sacram. n. 66.* Palao tract. 28. D. 2. p. 13. §. 7. n. 2. & 3. cum aliis, & sumitur ex *c. fin. ¶. cùm autem. cit.*

ubi Pontifex utitur verbo *confiterit*, quod Judiciale potestatem importat.

*C. exhibita. 19. de Judic.*

Parochus autem Judiciali potestate caret: & hinc in cognitionem Impedimenti ingereret se feso nullatenus potest. Idem, & fortius fieri debet, si Complices negent, & post motionem à Parocho factam perseverent negare Copulam inter se habitam; cùm enim publicè diffamati sint de habito adulterino consortio, si absque disquisitione Judiciali causæ permitteretur Titius celebrare Matrimonium cum Tullia, scandalum inter populum, cui fama Titii mala innotuit, oriaretur, quod proinde tolli debet vel absolutione Judiciali, si inveniatur Titius copulam cum Sempronia non habuisse, vel si habuit, Dispensatione,

Dilpensandi potestas autem, secluso speciale Privilegio, non ad Episcopum, sed ad Sedem Apostolicam pertinebit. Ubi tamen cum

Sanch. lib. 8. *de Matr. D. 6. num. 18.* Gutier. *de Matr. c. 132. n. 5.* Perez D. 44. sett. 7. n. 2. Bosco *de Matrim. D. 12. sett. 13. n. 113. & seq.*

est distinguendum, an Impedimentum ex confessione Complicum, vel aliunde sit certum, an vero dubium. Si enim certum sit Impedimentum, pro hujus Dilpensatione, nisi Ordinarius speciale quoad hoc Privilegium habeat, absque omni dubio recurri ad Sedem Apostolicam debet. Si vero dubium, spectanda est ratio dubii; nam si res omnino sit dubia, Episcopus ad excludendum scandalum declarare poterit, quod Dilpensatione non sit opus, vel etiam dispensare ad cautelam; quæ tamen Dispensatio non est vera Dispensatio: consequenter casu, quo post contractum ita Matrimonium, appareat Impedimentum dirimens, pro Dilpensatione ad Sedem Apostolicam adhuc

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

recurrendum erit. Si vero Impedimentum non sit omnino dubium, sed Præsumptio pro eo urgeat, prout fieret, si constaret de coitu, dubitaretur autem, an semen emisum, aut vase receptum, consequenter cum Sempronia filia, Tullia, quam Titius ducente intendit, contracta Affinitas sit, non prodierit Dispensatio Episcopi, sed eam petere, & impetrare à Sede Apostolica oportebit. Ratio est, quia in dubio prævalet Præsumptio, desumpta ex iis, quæ communiter contingunt. Atqui communiter contingit, quod in coitu cum foemina semen effundatur, & vase recipiatur. Igitur Præsumptio ista prævalebit, & consequenter præsumetur contracta Affinitas cum Tullia. Estque hoc teste

*Perez n. 2. cit. in fin.*

ita verum, ut probato coitu, illi, qui semen effulsum, aut vase receptum negat, in foro externo fides non adhibeatur.

In Casu præsenti ergo dispiciendum erit, quibusnam indicis fama de prohibito Titii cum Sempronia consortio innitatur; nam, si pro fundamento duntaxat habeat solam suspicionem Uxoris Titii de adulterio commissum cum Sempronia, & ex ea ortam frequentem dissidentiam cum Titio, cum foeminae sacerdotio ex nulla prudenti ratione Spiritu Zelotypie agantur, poterit Ordinarius, Causâ cognitâ, declarare, dispensatione opus non esse, & sic permettere Contractum Matrimonii inter Titium, & Tulliam: sique ex hujus Contractu impeditur Scandalum. Si vero adhuc indicia, quæ vehementer, & talem Præsumptionem adulterii, cum Sempronia commissi faciant, ut ex ea procedi per se posset ad poenam ordinariam Adulterii, inhibere debet Ordinarius Contractum Matrimonii cum Tullia, dum à Sede Apostolica impetretur Dispensatio. Consequenter in tali Casu Dominus Territorii debet petitum consensum vel suspendere eō usque, vel dare conditionatum, si memorata Dispensatio, quando opus eadem fuerit, impetretur.

Quoad legitimationem prolixi, à Titio susceptæ ex Tullia, per subsequens Matrimonium, iterum distinguendum est; nam, si Ordinarius, causâ cognitâ, declarat, nullum inter Sponsos intercedere Impedimentum, & sic Dispensatione opus non esse, legitima illa censebitur per hujus cum illa Contractum, idque vi textuum utriusque Juris.

*C. tanta. 6. qui fil. legitim. & l. jubemus. 6. l. quis. 10. & l. nuper. 11. C. de natural. liber.*

Si vero idem Ordinarius judicet, opus esse Dispensatione, etiamsi, hac impetrata, Titius cum Tullia contrahat Matrimonium, proles, ex hac suscepsum, si nata sit ante Contractum Matrimonii vel Dispensationem in impedimento, manebit illegitima, & pro tali reputabitur etiam post Contractum;

*L 1 2 quia,*

quia, ut effectum legitimandi prolem, consequatur Matrimonium subsecutum,

*Perc. tanta. cit.*

requiritur, ut illa suscepta sit ex Parentibus, qui tempore conceptionis, nativitatis, aut intermedio fuerunt habiles ad contrahendum inter se Matrimonium, quales in hac Hypothesi ante Dispensationem obtentam in Impedimento Affinitatis nequaquam fuissent. Aliud foret, si nata saltem fuisset post impetratam jam Dispensationem; quia tum Parentes ejusdem jam usq; ex predictis temporibus, nempe Nativitatis, fuissent habiles ad contrahendum Matrimonium, quod sufficit, ut Matrimonium subsequens vim legitimandi prolem possit exercere, ut cum communī docent

Covar. p. 2. de sponsal. c. 8. §. 2. n. 2.

Azor p. 2. lib. 2. c. 13. q. 3. Sayr. lib.

6. de Irregular. cap. 10. n. 29. Molin.

tract. 2. de J. & J. D. 172. n. 2. Fach.

lib. 3. contr. c. 50. Sanch. lib. 8. de

Matrim. D. 7. num. 17. Gutier. de

Matrim. c. 72. à n. 6. Pont. libr. 11.

c. 3. n. 2. Palao tract. 13. D. 4. p. 1. §. 3.

n. 5. Barbos. in c. 6. qui fil. legit. n. 31.

Quæ proinde omnia pro resolutione plenâ præsentis Casus accuratè dispicienda sunt.

### C O N T I N U A T I O   E J U S D E M   C A U S A E .

14.

E X f u s i o n e , in Consilio præmisso facta , Parochus ad se vocavit seorsim primò Semproniam , deinde etiam hoc modo Titium , monuitque paternè , ut ipsi veritatem candidè fateantur. Responderunt, se rem totam commississe ex Ordine Mendicantium Confessario, huncque in se suscepisse, quòd Romam scribere , & Dispensationem pro Titio vellet petere. Post aliquot Septimanas idem Confessorius vocavit ad se Titium , ipsius Confessionem excipit, injunctaque Pœnitentiā, quæ in tali Casu à SS. Canonibus statuitur, dimittit, adiectā hac assecuratione, quòd secundum dicta Titii lictē, & valide cum Tullia , Semproniae filiā , contrahere Matrimonium valeat. Insuper idem Confessorius Testimonium scriptum eidem tradidit, & quidem hujus tenoris, quòd scilicet Titius salvā conscientiā Juramentum Purgatorium de non extante Impedimento dirimente Matrimonium cum dicta Tullia depонere possit. Cū ergo ex petitā , & impetratā Dispensatione in foro interno satis clare colligatur intercessione inter Titium , & Semproniam copulam carnalem , adeoque contractum fuisse Impedimentum Affinitatis cum Tullia, hinc

15.  
Quæstiō-  
nes.

Q U A R I T U R . 1. An Titius cum Tullia , salvā conscientiā, vi hujus Dispensationis Matrimonium contrahere , & Parochus illi assistere possit sine ulteriori , & in foro externo facta delicti disquisitione , & desuper impetratā Dispensatione à S. Dataria Romana ? 2. An idem Titius vi sua Dispensa-

sationis , pro foro interno impetrata , Juramentum deponere possit de non extante impedimento dirimente , & sic à nuptiis non amplius arceri. 3. Cū nullus Parochrum, imò nec ipse Decanus Ruralis potestatem habeat deferendi, vel audiendi Juramentum sine speciali Commissione , à Judice Ecclesiastico facta , ad hunc mittendus sit Titius , vel utrūm, cūm hæc res non sit notoria, ipse Parochus sperare possit licentiam à Judice Ecclesiastico Juramentum deferendi Titio, hōcque deposito Titium à mulcta , ob delictum adulterii imponendā , liberare ?

AD Q U A E S T I O N E M 1. Post obtentam à S. Pœnitentiaria Dispensationem Titius cum Tullia Semproniæ filiā potest bonā conscientiā contrahere Matrimonium , & Parochus eādem conscientiā Contrahui huic assistere. Quia tamen Dispensatio hæc duntaxat in foro interno prodest, in Casu, quo per Denuntiationes vel ante , vel post Matrimonium contractum probaretur sufficienter delictum dirimens Matrimonium, necesse erit, ut impetretur nova Dispensatio , procuranda in S. Dataria Romana ad eum finem , ut Sponsi contrahere illud possint , & in contracto perseverare. Difficilis autem , imò moraliter impossibilis erit hujusmodi probatio ; nam, cūm Impedimentum Affinitatis solūm contrahatur ex copula perfecta , & ad hunc actum nullus admittatur testis, impedimentum aliter probari non potest, nisi vel per confessionem propriam Complicum, vel per prolem inde conceptam , & quidem conceptam eo tempore, ut illa proprio Semproniæ Marito attribui nequeat , v. g. quia tanto tempore iste Uxor sua non cohabitavit. Cū ergo Complices delictum à se commissum publicè negent , & proles non sit secuta , periculum non est , ne probetur Impedimentum.

AD Q U A E S T I O N E M 2. Quia de adulterio inter se commissio sunt valde suspecti, ad tollendum scandalum ante Contractum Matrimonii, post Dispensationem, in foro interno impetratam, utiliter , & tutò ipsis deferi Juramentum Purgatorium potest; nam etiam posito , quòd delictum istud per admissam copulam perfectam sit commissum, vi Dispensationis sic impetrata validè revera contrahunt , & consequenter periculum invaliditatis non adest. Ne tamen in casu, quo revera adulterium ab ipsis fuit commissum , & sic contracta Affinitas cum Tullia Semproniæ filiā, perjurii reos se faciant Complices , cautele est procedendum ab eo, qui Juramentum hoc ipsis imponit. Proinde non sunt amplius interrogandi de copula inter eos habitā, sed tantum proponenda est ipsis Quæstio , & petendum, ut jurent, an aliquod Impedimentum dirimens Matrimonium respiens copulam fortè inter ipsis habitam, Titius cum Tullia habeat ; nam cūm illud, etiamsi contractum fuisse, per Dispensationem pro foro interno sublatum revera fuerit,

fuerit, verē jurare poterunt, nullum tale Impedimentum inter ipsos existere.

**18.** **Quodlibet 3.** Consultum proinde erit, si petatur à Reverendissimo Ordinario Augustano licentia à Parocho vel pro se, vel pro Domino Decano suo Rurall imponendi Complicibus hoc Juramentum: quæ gratia omnino in Casu præsenti sperari potest. Debet autem Libellus supplex ita formari. *Sunt in mea Parochia Titius, & Sempronius ob diuturnam, & notam publicè scandalosam inter se conversationem valde suspecti de adulterino confortio, cùm uteque Complex fuerit conjugatus. Adulterium, factò ipso perpetratum, ritè probari non potest. Vult nunc Titius, de præsenti Viduus, transire ad secunda Vota, & ducere Tulliam Semproniam filiam. Ad vitandum scandalum, quod ex Contraktu hor sequeretur in populo, necesse videtur imponi ipsis Juramentum Purgatorium. Ne proinde continuetur hoc scandalum, à Reveren-*

*dissima, & Illustrissima Dominatione sua suppli-  
co pro licentia, ut mihi, vel Domino Deca-  
no meo liceat imponere hoc Juramentum; pe-  
riculum enim est, ne, si citarentur ad Reveren-  
dissimum Confistorium, augeatur suspicio, de  
ipsis concepta, qua multum diminuetur, si post  
Juramentum ita depositum liceat mihi Matri-  
monio Titii cum Tullia assistere, præmissis De-  
nuntiationibus. De Dispensatione, à S. Pœ-  
nitentiaria pro foro interno impetrata, non  
est consultum facere in Libello mentionem;  
nam ex hoc ipso Curia Episcopalis veniret in  
suspicionem commissi actualiter Adulterii,  
& difficilior fieret datio licentia. Accedit,  
quia Dispensationes, in S. Pœnitentiaria im-  
petratae, non possunt in foro externo ostendii,  
sed statim post executioni datam Dispensa-  
tionem, sub poena Excommunicationis la-  
tae Sententia lacerari debent à Confessario,  
cui à S. Pœnitentiaria data est potestas di-  
spensandi.*

## CONSLIUM XXXV.

In Causa Bonorum postliminio revoca-  
torum.

## SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species.
7. Rationes dubitandi, num in Causa præsentis  
Judex Laicus sit competens.
8. Persona Ecclesiastica etiam in Possessorio  
non potest trahi ad Judicem Laicum:
9. Neque Laicus in Causa spirituali, si immixta  
sit quæstio Juris:
10. Ne quidem ob continentiam causa, si hac  
sit propriè, & ex objecto suo spiritualis.
11. In Causa præsentis Reus est Persona Eccle-  
siastica: agitur potius Petitorio, quam Pos-  
sessorio, & decisio pendet ex valore Brevis  
Pontificii.
12. Hinc Judicii sæculari non competit causa  
præsentis cognitio.
13. Respondetur ad rationes dubitandi.
14. 15. 16. Ecclesia Augustana nec voluit, nec  
potuit in se prorogare Jurisdictionem fori  
sæcularis: quia Persona conventa est Eccle-  
sia, & ipsa causa spiritualis.
17. 18. 19. Nec item est contestata, quia  
adject Proteftationem, ut actor remittatur  
ad forum competens.
20. seqq. Si agnoscendus esset Index Laicus, ma-  
le præterita fuit prima instantia.
23. Data sunt quidem aliquando Reversales,  
vi quarum promissa erat restitutio Decima-  
rum Quæstionis:
24. 25. Sed illa per Breve Pontificium subse-  
cutum sublata sunt; nam posteriora derogant  
prioribus.
26. 27. In Petitorio Decimarum solus Judex
- Ecclesiasticus fundatam habet Jurisdictionem:
28. Secluso Privilegio Apostolico, & nisi De-  
cima facta sint Laicales.
29. Hinc in Causa præsentis quoad Petitoriam  
solus Judex Ecclesiasticus potest cognoscere.
30. Non Archi-Episcopus:
31. Consequenter solus Romanus Pontifex.
32. 33. Causa proprietatis & possessionis coram  
eodem Judice tractari debet:
34. Nisi litigantes sint fori diversi, aut Judex  
non competens respectu utriusque.
35. 36. Querela nullitatis 30. annis extingui-  
tur:
37. Licet opponatur per modum exceptionis.
38. & seqq. Indultum Pontificium non esse vitio-  
se impetratum, ostenditur, solutis rationi-  
bus dubitandi.
45. Potest Pontifex mutare Jura Ecclesiistarum.
46. Vitiata una parte rescripti, non hoc ipso  
vitiantur cetera.
47. Decima Quæstionis possunt presumi sive  
omnes feudales.
48. Gratia non vitiatur, si non subsistat causa  
impulsiva, modò subsistat motiva & princi-  
pialis.
49. Pretia rerum estimanda sunt pro tempore,  
pro quo fit contractus.
50. Error nominis non vitiat gratiam.
52. seqq. Jus ad Decimas, quod Monasterium  
stante Brevi Pontificio pretendit, eliditur so-  
lutione Argumentorum.